



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Fidius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

F I D I U S D E U S.
F I D E S. CAP. XXXII.

*Deus Sabi-
norum.*

*In platea
qua Ate-
nula dicta,
penes pa-
tricioſ San-
taeicos.
Vide Embl.
9. Alciati,
cum Ch. in
idem Mi-
noem.*

PRæstantissimum extat Romæ in antiquo marmo-
re Fidi simulachrum, sic expressum: Vir est imber-
bis quidem, sed tamen maturam præ se ferens ætatem,
cui adjectum est nomen HONOR: hic VERITA-
TI, quæ virginis forma expressa est, manum porrigit
prenditque: in medio autem AMOR est pueri ætate:
quod hæc tria sint, quibus Fides nititur, quæque illam
inviolatam conservant: nempe honoris studium, ve-
ritas promissorum, ut videlicet ab utroque serventur, &
amor, qui nisi adsit & faveat, facillè fides corrumpitur:
nam fidem honos sustinet, veritas parit, amor nutrit.



S O M N U S.
V E R A E T F A L S A S O M N I A.
CAP. XXXIII.

*Veri falsiq;
somnia
Symbolum.*

Mago virilis facie resoluta & languenti, candida subtile veste & supra nigra induta, quasi diem &
noctem indicaret, cornu manu tenens, Philostrato auctore, somnum significat: quod cum vera
somnia immitit, nigrum cornu habere fingitur: cum verò falsa, eburneum: unde & gemine somni
portæ à Virgilio finguntur, his verbis:

*Sunt gemina somni portæ, quarum altera fertur
Corneæ, quæ veris facilis datur exitus umbris,
Alteræ candenti perfellæ nitens Elephantæ:
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.*

Aenid. 6.

*In Som.
Scip. c. 3.*

quoniam, ut inquit Macrobius ex Porphyrii autoritate, latet omne verum: hoc tamen anima cum
ab officiis corporis somno paulum libera est, interdum aspicit, nonnunquam tendit aciem, nec ta-
men pervenit. Et cum eum aspicit, tamen non libero & perfecto lumine videt, sed interiecto rela-
mine, quod nexus naturæ caligantis obducit, quod Virgilius his verbis indicavit:

*Aspice, namque omnem, quæ nunc obducta tueni
Mortales hebetat visus, tibi est humidæ circum
Caligat, nubem eripiam.*

Aenid. 6.

*Macrobius
ibidem.*

Hoc igitur velamen, quod nigro colore significatur, cum in quiete ad verum usque aciem introspi-
cientis admittit, cornu esse creditur: cuius hæc est natura, ut tenuatum visui pervium sit: cum æ-
tem à vero hebetatur, ac repellit obtutum, eburneum putatur: cuius corpus ita natura densatum est, ut ad
quamvis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu ad ulteriora tendente penetrare. Hæc Macro-
bius. Servius vero aliam adfert rationem: ait enim per portam corneam oculos significari, qui &
cornei sunt coloris, & duriores ceteris membris, quia frigus non sentiunt, ut & Cicero in libris de na-
tura Deorum testatur. Per eburneam vero portam, os, propter dentes, quod ea quæ loquimur, falsa
esse possunt: ea vero quæ videmus, sine dubio vera sint. Aut vero ait, corneam portam idcirco ve-
ram dici, quod, ut ii, qui de somniorum interpretatione scripserunt, testantur, quæ somnia personarum
statum & fortunam non excedunt, vera sint, & simplicia, ut cornu est: quæ vero supra fortunam
sunt, & nimium habent ornatum, falsa: unde eburnea quasi ornatio porta fingitur.

HONOS